

[Title and Contents page]

Quaestiones metaphysicae.

Quaestio prima: de cognitione et cognito.

Articulus 1. De potentiis cognitivis.	
2. De valore potentiarum.	5
3. De obiectis potentiarum.	6
4. De identitate et diversitate.	7
5. De cognoscibili.	8
6. De idealismo Berkleiano.	10
7. De idealismo Hegeliano.	11
8. De idealismo Platonico.	13
9. De realismo moderato	14

[page 1]

q. 1, a. 1

[1] De potentiis cognitivis

Tota cognitio humana ad tria reduci potest, nempe, ad iudicium, intellectionem, et experientiam.

    Quae tria inter se irreductibiliter differunt.

Iudicium est rationabilis determinatio sive ad affirmandum, sive ad negandum, sive ad neutrum faciendum.

    Non est ipsa articulata et expressa affirmatio, sive interne sive externe evolvitur, sed determinatio quaedam in ordine ad affirmationem. Similiter circa negationem et dubium positivum.

    Potentia iudicandi est conscientia rationalis, seu capacitas sese determinandi per rationes allatas.

    Caute distinguas conscientiam rationalem a conscientia empirica (sensu interno) de qua postea.

Intellectio est id ipsum quod est cognoscere ‘cur’ quatenus ‘cur’ cognoscitur.

    Ratio ergo intellectionis abstrahit tum a cognitione eius cuius ‘cur’ cognoscitur, tum a iudicio quod subsequitur cognitionem ‘cur.’

Aliter, etsi minori generalitate, dicitur intellectio esse apperceptio unitatis in multiplicitate.

Dividuntur intellectiones in primae et secundae intentionis.

Intellectio secundae intentionis cognoscit cur affirmemus, negemus, positive dubitemus.

Intellectio primae intentionis triplex distinguitur, nempe, accidentalis, substantialis, essentialis.

Intellectione accidentis cognoscitur cur tale phenomenon sit tale, v.g., cur circulus sit circularis, cur lux sit luminosa, etc.

Intellectione substantiae cognoscitur quod haec phenomena sunt unius, v.g., has apparentias et actiones omnes esse unius vel hominis vel canis et ita porro.

Intellectione essentiae fit explicatio accidentium per substantiam, scilicet, unitas (quae dicitur substantia) est cur apparentiae et actiones sint tales, v.g., quia homo est animal rationale, apparentiae et actiones hominis sunt tales.

Unde, intellectio accidentis est cognoscere cur tale phenomenon sit tale, intellectio substantiae est cognoscere quod haec phenomena sunt unius, intellectio vero essentiae est cognoscere cur haec phenomena sint talia.

Notate intellectionem esse cognitionem nexus, non vero eorum quae connectuntur, nisi quatenus ipsa intelligibilia connectuntur. Puta intellectionem non esse cognitionem [page 2] phenomenorum, sed horum unitatis apperceptio; at cognito cur tale phenomenon sit tale et quod haec phenomena sunt unius, nihil prohibet quominus id quod altera intellectione cognoscitur (unitas) cum eo quod priore cognoscitur (natura talis phenomeni) intelligibiliter connectitur; qui nexus est intellectio essentiae.

Experientia late et stricte dicitur.

Late dicitur quidquid fit in homine conscio: unde includit ipsam intellectionem et iudicium.

Stricte dicitur cognitio praevia ad intellectionem et iudicium, in ordine ad intellectionem et iudicium. Puta, aliud est intelligere cur circulus sit circularis, aliud vero est ipsam hanc intellectionem intelligere; fieri potest ut quis circulum intelligat quin intellectionem intelligat; quo tamen in casu cognoscit quidem se intelligere, at cognoscit se intelligere non intellectionem sed circulum.

Iam vero ut intelligat non solum circulum sed etiam intellectionem, ista cognitio qua cognoscit se intelligere circulum praestat medium. Cognito enim ideo circulum esse rotundum quia omnia puncta aequaliter a centro distant, cognosci potest intellectionem esse apperceptionem unitatis in multiplicitate. Et haec cognitio est intellectionis intellectio, nam unitatem revelat in multiplicitate intellectionum.

Stricte ergo dicitur experientia praevia ista cognitio quae medium ad intellectionem praestat.

Similiter experientia eius quod est iudicare distinguitur ab intellectione iudicii: aliud enim est cognoscere se iudicare, aliud vero intelligere quid sit iudicare. Neque est iudicii experientia aliud quoddam iudicium: medium sane praestat quo iudicemus nos iudicare; quod tamen medium non semper ducitur in actum iudicii, secus actualiter esset infinita series qua iudicamus nos iudicare nos iudicare nos iudicare ...

Universim ergo experientia stricte dicitur praevia cognitio in ordine ad intellectionem et iudicium.

Dividitur vero experientia in internam et externam: externa est sensus, interna autem est conscientia empirica.

[page 3]

Porro haec conscientia empirica a conscientia rationali distinguitur: aliud enim est cognoscere nos vel iudicatuos vel iudicare vel iudicasse; aliud prorsus est tales esse qui rationibus ad iudicandum moveamur; quorum illud empirica, hoc rationalis conscientia dicitur.

Proinde, apprime notandum est oculum non videre, manum non sentire, linguam non gustare: fieri potest ut oculo videamus, manu palpemus, lingua gustemus; quam possibilitatem minime negamus, immo eam esse veram certum ducimus. Aliud tamen est oculo me videre, aliud ipsum oculum videre. Porro, oculus non videt, sed idem ego et video et intelligo et iudico et conscius sum.

Si quis velit intellectum nominare facultatem qua ego video, qua ego intelligo et qua ego iudico, nomine 'intellectu' latius utitur: de nominibus tamen non est litigandum, modo alia cognitio mere empirica, alia intellectiva, alia iudicialis recognoscatur.

Haec enim tria prorsus inter se differunt: experientia enim cognosco quin 'cur' cognosco et quin iudicem; puta aliquem noctu umbram videre quin intelligat istam umbram esse meram umbram vel forte hominem, quin iudicet istam umbram meram umbram esse vel hominem.

Intellectu vero cognosco unitatem in multiplicitate iam cognita, quae unitatis cognitio non est alia quaedam experientia sed quid formaliter experientiae oppositum: experientia enim non cognoscitur cur; intellectus vero est quo 'cur' cognoscitur. Omnis praeterea experientia est cuiusdam particularis; omnis autem intellectio est eius quod in pluribus verificari potest; puta, intellectionem circuli esse eandem sive hic sive ille circulus intelligitur.

Iudicio denique cognosco hanc intellectionem veram, illam falsam: intellectio enim nihil dicit nisi experientiam tali modo intelligi posse; iudicium autem determinat hoc modo experientiam esse intelligendam.

Tria ergo irreducibiliter distincta habemus: experientiam esse cognitionem in ordine ad intellectionem et iudicium; intellectionem esse cognitionem circa empirice cognita et in ordine ad iudicium; iudicium vero esse cognitionem circa intellectionem.

[page 4]

At non solum sunt haec tria irreducibilia, sed ad ea omnis alia cognitio reducitur. Quod elucet enumeratione.

Imaginatio enim non est nisi experientiarum manipulatio quaedam in ordine ad intellectionem: quae intellectio est vel propria, ut in scientiis addiscendis, vel aliena, ut in scientiis docendis et in artibus exercendis.

Conceptio est ipsa intellectio.

Dicitur universale directum ratione sui: intellecto enim hoc circulo, quemlibet circulum intelligere possum.

Dicitur universale reflexum ratione superadditae intellectionis: si enim intelligo me posse quemlibet circulum intelligere, uno intellecto, directum universale fit reflexum.

Scientia est experientiarum collectio, intellectio, iudicium. Quatenus nondum scientia perficitur, in via inventionis versatur: in experientiis colligendis, manipulandis, intelligendis occupatur. Quatenus vero scientia ad perfectionem tendit, in via doctrinae versatur: a principiis maxime generalibus orditur et per additas differentias ad particulare qua intellectum progreditur.

Caute divites errorem recentiorum, alias scientias esse deductivas, alias inductivas, tamquam duplex sit methodus scientiae acquirendae.

Facillime demonstratur geometriam esse inductivam: secus dicas velim ex quonam axiomatico demonstrat Euclides dari quattuor casus in tali theoremate.

Facillime demonstratur physicam ad formam deductivam progredi: quaerit enim principia maximae generalitatis, puta theoriam motus seu mechanicam, et omnia phenomena per differentias additas explicare conatur, puta, lucem esse motum undularum talium, calorem esse motum undularum minore frequentia undulantium, etc.

Syllogismus denique non est nisi analysis iudicii: omne enim iudicium propter rationes ponitur, eiusque forma est, Quia A est B, ergo C est D.

Proinde tale propositum duobus constat: nempe A est B, et si A est B, C est D; quorum illud est experientia haustum, hoc intellectione stabilitum.

[page 5]

[q. 1, a. 2] De valore potentiaram

Cum omne iudicium sit propter rationes, quaeri potest universim de ratione iudicandi: quae quaestio generatim ponitur, utrum potentiae cognitivae sint per se validae; aliter, an ipsa potentia qua talis possit esse causa dubitandi.

Cui quaestioni satisfit tripliciter: primo, per demonstrationem eius quod potentia qua talis non potest esse causa dubitandi; deinde per explicationem cur potentiae humanae sint tales quales sint; tertio per explicationem cur potentiae humanae possint esse validae.

Postea de altera et tertia via agetur; nunc de prima via quae est negativa at fundamentalis.

Inprimis ergo ipsa potentia iudicandi reici nequit: non enim reicitur nisi iudicio; at si iudicium reicitur iudicio, iudicium reiciens aut validum est aut invalidum; si validum, tunc iudicium est per se validum et nihil reicitur; si invalidum, cum nihil fiat nisi iudicium et illud invalidum, nihil prorsus fit, et ideo iudicium non reicitur.

At iudicio manente, manet intellectio. Sine enim ratione non fit iudicium, cum iudicium sit rationabilis determinatio. At sine intellectione, nulla cognoscitur ratio; unde sine intellectione, nullum datur iudicium.

Manentibus autem et iudicio et intellectione, maneat experientia necesse est. Nam homo nequit intelligere simpliciter, at si intelligit, aliquid intelligit. Ut sit intellectio requiritur praevia quaedam cognitio eius quod est intelligendum. Qua de causa, nisi experientia sit valida, neque intellectio neque iudicium est possibile.

Cum ergo iudicium nequeat reici vel sine intellectione et experientia haberi, remanet ut tria ista sint per se valida.

Quod argumentum ex impossibilitate contradictorii, minime explicat cur nostra potentia cognitiva talis sit qualis est, neque explicat cur valida esse possit.

Imponit vero caecam necessitatem cui vel ipsi nos submittamus vel homines esse desinamus necesse est.

[page 6]

[q. 1, a.3] De obiectis potentiarum

Obiectum experientiae sive internae sive externae dicitur phenomenon, empiricum, datum.

Obiectum intellectionis dicitur noumenon, intelligibile, ratio intelligibilis obiectiva, forma, essentia, principium, lex, et ita porro.

Obiectum iudicii dicitur verum, reale, veritas, realitas, esse, existentia.

Interdum quaeritur utrum idem sit cognitum (obiectum alicuius potentiae) ac cognitio (activitas alicuius potentiae). De qua quaestione, postea. Statim notandum est a nemine negari aliud esse obiectum cognitionis in genere, aliud esse obiectum internae experientiae qua cognoscimus activitatem nostrarum potentiarum.

Antequam haec questio dirimitur, definienda est veritas, seu realitas, seu esse, critice: scilicet, sine praeiudicio utriusque partis.

Verum ergo definimus id ad quod affirmandum, negandum, positive dubitandum, rationabiliter determinamur. Definitio ex definitionibus sequitur: iudicium enim est rationabilis quaedam sui determinatio; verum autem vel reale vel esse vel existentia est obiectum iudicii.

Obiectum proportionatum cognitioni humanae est quodcumque experiri, intelligi et verum esse potest.

Nam cognitio humana his tribus perficitur: unde obiectum tali cognitioni proportionatum est quodcumque his tribus possibilitatem praestat.

Aliter definitur obiectum proportionatum: intelligibile in sensibilibus. Quod ad idem redit, nam possibilitas veri est intelligibilitas: [hand:] iudicium enim est rationabilis determinatio.

Obiectum adaequatum cognitionis humanae est quodcumque verum et intelligibile quod ex cognitione humana construi potest.

Puta seriem infinitam, coefficientens differentiale (0/0), spiritum purum, ens illimitatum, etc.

[page 7]

[q. 1, a. 4] De identitate vel diversitate

In genere iudicium determinat de vero; in specie determinat de identitate vel de diversitate; quae qualis sit et quotuplex breviter dicendum.

Diversitas prima est phenomenalis seu quae phenomenis immiscetur et nomine colectivo spatium-tempus dicitur.

In minima enim distantia, partes diversae indefinite distingui possunt; in dimensione una distinguitur infinitas infinitatum; in quattuor dimensionibus distinguitur infinitas infinitatum ad octavum exponens ( $\infty^8$ ).

Identitas prima est substantialis quae in appercipienda phenomenorum unitate fundatur: puta, hanc partem spatii-temporis ( $\infty^4$ ) esse hominem vel equum.

Numerica diversitas est illa quae intercedit inter ea quae eadem intellectione intelliguntur: hunc circulum, puta, eadem intellectione intelligi atque illum; at diversi sunt circuli.

Numerica identitas eadem est ac substantialis: puta, albedinem Petri heri et illic esse numerice eandem ac albedinem Petri hic et hodie.

Specifica diversitas est illa quae intercedit inter ea quae diversimode intelliguntur: puta, circulum non esse parabolam quia diversa est eorum intelligibilitas.

Specifica identitas est eorum quae eodem modo intelliguntur sive intellectio illa sit substantialis, accidentalis vel essentialis.

His positis, distinctiones distingui possunt:

Maior distinctio est inter substantias, sive specificae sive numerice tantum differunt.

Minor distinctio est inter partes unius substantiae, sive specificae sive numerice differunt.

Rationis distinctio est quae nominibus et conceptibus fit quin eius veritas non extendatur ultra secundam intentionem.

[page 8]

[q. 1, a. 5] De Cognoscibili

Id dicitur cognoscibile quod verum esse potest; id potest esse verum, quod iudicii positivi obiectum esse potest; id potest esse obiectum positivi iudicii, quod saltem aliquo modo intelligibile est: si enim aliquo modo intelligibile est, praebet aliquam rationem cur determinemur ad affirmandum; si vero nullo modo intelligibile est, praebet nullam rationem cur determinemur ad affirmandum.

Intelligibile est tale vel in se vel in alio.

Essentia, v.g., est in se intelligibilis: est enim id ipsum quod intellectione cognoscitur.

Diversitas numerica, v.g., non est in se intelligibilis: nam est id quo differunt ea quae eadem intellectione intelliguntur quatenus intelligibilia sunt.

Diversitas numerica potest esse in alio intelligibilis: sit enim aliqua intelligibilitas quae suam rationem plene attingere nequeat nisi pluribus simul vel successive insit: ex natura sua, talis intelligibilitas duo exigit: primo, ut eadem pluribus insit; deinde, ut ista plura sint plura; iam vero, ut eadem pluribus insit, requiritur ut ista plura non sint specificè diversa; si enim specificè diversa essent, non eadem pluribus inesset; alia ex parte, ut plura ista plura sint, quin specificè diversa sint, requiritur ut numerice tantum sint diversa; quae numerica diversitas, etsi in se non intelligatur, intelligitur tamen in exigentia istius intelligibilitatis quae, ut sit, pluribus eadem insit necesse est.

Hactenus de possibili intelligibilitate in alio diversitatis numericae: iam ad factum progreditur.

Porro, patet hominem natura sua esse socialem, nempe, ad perfectionem propriam proficere nequit nisi plures simul et successive sunt homines; hominis ergo natura seu intelligibilitas postulat ut eadem pluribus insit; unde numerica hominum diversitas explicatur, non in se ipso, nam in se est inintelligibilis, sed in alio, nempe in exigentia naturae humanae.

Et similiter de electronibus, etc., ratiocinandum est.

[page 9]

Ex antecedente apparet analogia inter cognitionem nostram et cognoscibile nostrum: sicut enim obiectum nostrae cognitionis partim est in se intelligibile, puta essentiam, et partim est in se inintelligibile, puta diversitatem numericam, similiter cognitio nostra est partim empirica et partim intellectiva.

Quae analogia etiam explicatio est. Obiectum enim nostrae cognitionis, quatenus in se est inintelligibile, exigit cognitionem mere empiricam seu sine intellectione: nam inintelligibile non potest cognosci intelligendo. Quatenus vero idem



obiectum est in se intelligibile, exigit cognitionem intellectivam; sine enim intellectione non cognoscitur intelligibile quatenus intelligibile est.

Quae explicatio ex antecessis facile applicatur experientiae et intellectioni, quarum haec intelligibile in se, illa inintelligibile in se apta nata est cognoscere. Etiam iudicio est applicanda.

Verum enim seu esse quod cognoscimus, quatenus verum est, non est in se intelligibile.

Potest esse in se intelligibile, nam iudicium cuius obiectum est verum est rationabilis determinatio rationibus mota.

In uno casu est in se intelligibile, nempe in primo omnium principio seu esse illimitato, uti videbimus.

Sed de facto et in genere, non est in se intelligibile. Intelligibile enim quod in genere cognoscimus indifferenter se habet ad verum et falsum, ad esse et non-esse: est enim, quatenus intelligibile, mera hypothesis; quatenus autem verum est, non intellectione pura, sed verificatione seu experientia probatur.

Cognoscibile ergo nostrum tale est: ratio quaedam intelligibilis, numerica individuata, et contingenter existens; secundum individuationem et existentiam, sola experientia est cognoscibile; secundum formam seu essentiam, sola intellectione est cognoscibile.

[page 10]

[q. 1, a. 6] De idealismo Berkleiano

Ponitur quaestio utrum cognitio nostra sit eadem ac cognitum, et examinatur solutio Berkleiana, nempe, verum et veri perceptionem identificari: 'esse est percipi.'

Ultrò fatemur non posse explicari vel nostram vel quamlibet aliam cognitionem, nisi radicaliter eadem prorsus est cognitio et cognitum.

Si enim aliud cognitum, alia cognitio esse dicitur, aut simpliciter fit affirmatio, aut cum distinctione.

Si simpliciter fit affirmatio, affirmatur nostra cognitio esse nulla: nam si simpliciter alia est cognitio quam cognitum, tunc cognitum non cognoscitur.

Aliqua ergo identitas inter cognitum et cognitionem est ponenda: quae nisi sit radicalis et ad omnes cognitiones sese extendens, aliquas relinquit cognitiones quae non sunt cognitiones cogniti.

Quae radicalis identitas cognitionis et cogniti, qualis sit, postea erit considerandum.

His positis, prorsus negandum esse ducimus nostram cognitionem cum cognito simpliciter identificari.

Haec enim hypothesis non explicat explicanda.

Duplicem enim seriem habemus cognitionum: prima enim est series qua cognoscimus non-cognitiones; altera est series qua cognoscimus cognitiones non-cognitionum; nam experientiam habemus tum externam tum internam.

Porro, haec duplex series non existeret, vel saltem non explicaretur, si eadem esset cognitio ac cognitum.

[page 11]

[q. 1, a. 7] De idealismo Hegeliano

Continuatur quaestio utrum eadem sit cognitio ac cognitum, et examinatur sententia Hegeliana.

Quae positio minime negat diversitatem phenomenalem, puta, aliud hoc tempus, aliud illud, aliam hanc spatii partem, aliam illam, aliam hanc cognitionem, aliam illam.

Neque negat intellectionem phenomenorum qua talium, puta, intellectionem circularitatis qua talis, luminis, mathematicam motus analysin.

Neque negat synthesin cosmicam phenomenorum, immo summopere asserit universalem quandam dialecticam seu omnium evolutionis legem.

Negat vero unitates dictas substantiales: nempe phenomena externa in unitatem obiecti substantialis, phenomena interna in unitatem subiecti substantialis, non sunt redigenda.

Quibus unitatibus substantialibus negatis, tollitur omnis distinctio maior; absoluto quodam processu evolvuntur apparentiae, intellectiones, iudicia; qui processus non est nisi lex quaedam, dialectica, ubi nihil sit quod appareat, nemo qui intelligat vel iudicet.

Cui sententiae duplex inest veritas: nempe esse quid cosmicum quod infinite verius et realius est omnibus aliis substantiis; praeterea, notionem substantiae a multis propugnatam esse indefensibilem. Caeterum vero haec sententia nequit defendi.

Quaero, enim, num haec phenomena sint unius cuiusdam quod equum vel hominem dico? Aliqualis sane est agnoscenda unitas, quae neque est lex

universalis neque ipsius phenomeni qua talis intellectio. Unitas enim, quam equum nomino, fundatur in distinctione equi ab aere circumfuso, a terra, a stabulo, a curro: est praeter legem cosmicam; est praeter intelligibilitatem singulorum phenomenorum, puta, motum equi, colorem equi, calorem equi, etc.

Porro, haecine unitas secundum se considerata non est quid empiricum, neque potest ulla experientia in se cognosci; intelligibile in se est et solo intellectu conspicitur. Non ergo est aliud aliquod phenomenon latens, caeteris fenomenis substans eaque sustentans: nam non est in tali genere; intelligibile est et non empiricum.

Contra eos ergo qui substantiam ad modum phenomeni latentis concipiunt, recte argumentavit Hegel; quod tamen argumentum non tollit veram substantiae rationem, nempe, unitatem quandam pure intelligibilem quae haec phenomena qua haec in unum redigit.

[page 12]

Insurgit tamen difficultas quaedam ex conscientia humana: videtur enim haec conscientia quae est tou 'ego' et esse experientia et esse experientia substantiae. Quo posito, sequitur substantiam non esse intelligibilem sed empiricam, ideoque substantiam aliarum rerum esse ad modum phenomeni latentis; et ex hac ultima contradictione positio Hegeliana facile deducitur.

Trita enim est via quae a Kantiano Ding-an-sich per Fichteum 'ego' absolutum ad idealismum absolutum et Hegelianum progreditur.

Quaenam ergo sit nostra conscientia? Dico, primo, conscientiam de qua agitur esse rationalem illam sui determinationem quae circa verum est iudicium, circa bonum est voluntas. Reliqua enim conscientia non est nisi experientia sive experientiae sive intellectionis sive iudicii; quae experientia non est ipsum 'ego' sed circa hoc et huius; neque est unitas substantialis, sed id quod in talem unitatem per intellectionem redigitur. Ipsa vero conscientia rationalis videtur esse ipsum 'ego' qui iudico, volo, intelligo, sentio; unde videtur esse ipsa substantia.

Dico, secundo, talem conscientiam non esse substantiam sed accidens: quod quemadmodum probetur, postea attendendum.

Dices: Ergo ego non sum ego: scilicet, ego qui sum homo et substantia non sum ego qui iudico et volo.

Respondeo: Equus qui est animal et substantia non est albedo quae est color et accidens. Et tamen equus est albus. Similiter activitas illa qua iudico et volo est mea, at non ego.

Quemadmodum vero praedicari possit accidens de substantia, postea inquirendum.

Cp. D. Th., ST 1a 87 1 c.

[page 13]

[q. 1, a. 8] De idealismo Platonico

Continuatur quaestio utrum cognitio sit eadem ac cognitum, et examinatur sententia Platonis.

Notissima est distinctio: alia noesis seu intellectio, alia aisthesis seu sensatio; porro intelligibilia sunt vera et realia, sensibilia sunt falsa et non-realitatis (ta mē onta).

Quae positio ideo excellens et omnino est probanda, quod homines generatim ita sensibus demerguntur ut sensibilia realia et intelligibilia non-realitatis ducunt. Ex quo errore tamquam a fonte perenni fluunt materialismus, positivismus, pragmatismus, sensismus, empiricismus, utilitarianismus, atomismus, evolutionismus, etc. etc.

Iterum est probanda sententia Platonis quia intelligibile longe verius et realius est quam sensibile.

At neganda est negatio omnis realitatis in sensibilibus: uti enim iam explicavimus, entia contingencia et numerice distincta, quatenus talia, non possunt directe cognosci nisi irrationali illa cognitione quae experientia dicitur. Sola forma et essentia est in se intelligibilis; sola potest in se intelligi. Caetera quae in alio tantum intelligi possunt, quatenus in se cognoscuntur, experientia tantum cognoscantur necesse est.

Unde, etsi desit intrinseca intelligibilitas in contingente et numerice diverso, tamen non omnino deest intelligibilitas, quippe quae in alio intelligitur. Minus realia sunt quae contingenter sunt et numerice distinguuntur; at aliquomodo sunt realia, et hoc negare est error systematis Platonici.

Unde patet, hic error est defectus maximae qualitatis: in distinctione enim inter intelligibile et sensibile, et in praestantia illius, tota philosophia perennis fundatur.

[page 14]

[q. 1, a. 9] De realismo moderato

Critice id est verum ad quod affirmandum rationabiliter determinamur.

Iam vero rationabiliter determinamur ad affirmandum:

(a) valorem potentialium cognitivarum nostrarum, nam aliter facere non possumus;

(b) diversitatem fenomenalem, numericam et specificam; identitatem substantialem, numericam et specificam; secus potentiae nostrae per se invalidae essent dicendae;

(c) cognoscibile quod cognitioni humanae proportionatur, esse rationem quandam intelligibilem, numerice individuatum, et contingenter existentem; nisi enim esset ratio intelligibilis, superflua esset intellectio; nisi numerice individuatur, phenomena prorsus similia esse non possunt; nisi contingenter existeret, superfluum esset iudicium; praeterea, sine contingentia et numerica individuatione, non explicaretur irrationalis illa cognitio quae in mera experientia (constanter) consistit.

(d) porro, haec ratio intelligibilis, numerice individuata et contingenter existens, non est identificanda cum ipsa nostra cognitione, ita ut idem sit esse quod percipi;

(e) neque est haec ratio intelligibilis tantummodo accidentalis, ut in explicanda circularitate, vel tantummodo cosmica, ut in explicanda historia; sed etiam est substantialis, non sane eo sensu quod datur aliud quoddam phenomenon latens, substans, sustentans, sed eo sensu quod datur noumenon seu intelligibile quae est unitas horum phenomenorum;

(f) neque est sola haec ratio intelligibilis, sive accidentalis sive substantialis, vera et realis; sed etiam empirica sunt realia, etsi minori mensura;

(g) ita ut cognoscibile, cognitioni humanae proportionatum, sit ratio quaedam intelligibilis et substantialis, quae causa existit cur haec phenomena talia sint et unius indicia praebent, quae numerice individuatur, et contingenter existit.

Stabilito ergo cognoscibili seu obiecto proportionato nostrae cognitionis, reliquum est ut critica veritatis definitio cedat definitioni quae propria est doctrinae iam probatae.

Verum ergo dicimus vel subiectivum vel obiectivum: obiectivum verum est intelligibilitas obiecti; subiectivum verum est adaequatio iudicii et obiecti.